

ad comitia adhibere tanquam populi ac civitatis honestum ac gratum membrum, & includere tanquam improbum & civitatis jure ac luce indignum. Potest autem esse vel ex forma verbi *Cal*, ut notet sui receptionem ad Populum & Regnum Dei per poenitentiam: vel *Pybal*, ut notet admisionem ad Ecclesiam & reconciliationem cum ea. Breviter sonabit, ἢ ψυχὴ ἢ ἁποκαταστάσις, vel, quod idem, ἢ ἁποκαταστάσις. Ita hoc nomen indicat causam sermonum istorum, poenitentiam Solomonis & sanationem scandali. Huic sententiæ cōfirmandæ est, præter alia, 1. ætas provectior Solomonis, quam postulat experientia toties in libro hoc inculcata. 2. confessio peccati satis expressa c. 7. v. 20. & 3. summa totius scripti, quæ est mera humiliatio hominis coram Deo. Alia mox. Ita proprium & Regium nomen disimulatum innuat, eum hic non Christi Regis, sed cujusvis poenitentis ac fidelis, & istis mediis Regnum DEI adipiscentis personam gerere.

II. Genus Autoris. *Filii David*. Quum suum nomen taceat, Patris exprimat, id putamus non tantum pertinere ad autoris cōmōstrationem, sed & ad indigitationem fundamenti, in quo fiduciam sui in Ecclesiam & Populum Dei receptionis posuerit. quæ sunt charitates Davidis (Esa. 53. vers. 3.) patris sui, quas & allegat 2. Chron. 6. v. 42. h. e. fœdus, quod Deus pepigit cum Davide & omnibus fidelibus in Christo Davidis Filio & Rege populi Dei vero. Eadem mente videtur se appellare Prov. 30. 1. *Agur filium Jakéb* q. d. recollectum filium obedientis. nam *Jakéb* est ut *Japbéh*; inde, unde *Jikkebat* Gen. 49. 10. Prov. 30. 17. David enim erat vir secundum cor Dei, & multo magis verus ille David, Rex Ecclesiæ, caput & Pater omnium fidelium. Quod verò se *Lemoél* Prov. 31. 1. appellat, id sonat, *ad Deum*, q. d. qui redit ad Deum.

III. Ejusdem conditio. Neque verò hic dicitur Rex Israël, ut Prov. 1. 1. quod infra de se tanquam præteritum narrat v. 12. sed Rex in Hierusalem. Causa additæ dignitatis, non tam, ut ostenderet, se vanitatis affluentissimum optimè de ea posse judicare (ampliora enim dixisset) quàm ut restrictione dignitatis humiliter agnoscat Divinam sententiam, quæ ei eripiebatur reliquum Regnum, una tribus relinquebatur propter electam Hierusalem. 1. Reg. 11. 13.